

De *CVICVITLAPILLI* Glandularia.

Cap. XLIV.



**N**ON ob aliud herba hæc *Cicuitlapilli* nuncupatur, quàm quod radices fundat paruarum glandium magnitudine, & forma, binas ternasve. e quibus prodeunt fibræ caudis similes. est enim *Cicuitlapilli* cauda *Tlacuatzin* defossa terræ. ergo ex ea radice prodeunt caules tenues, teretes, purpurei, ac dodrantaes. folia per intervalla oblonga, ferrata, ac mediocri magnitudinis. semen autem in summa caulium parte, hoc est, bina granula, Coriandri forma, & magnitudine, binisque parvis testiculis similia. Nascitur vnaquæque planta seorsim, in colibus agri *Tepeilaotocensis*. Radixq; est intus candens, extra verò nigra. propinatur resoluta ex aqua, semiunciæ ponderè aduersus febres, necnon ad plenem comminuendum. tamen si frigida ad mediocritatem, dulcis siquidem percipitur.

Hanc ad *Mercurialem* pertinere, non tantum figura ostendit, sed etiam vires purgandi similes demonstrant.

De *CUNGARIQVA*. Cap. XLV.

**V**OLVIBILIS genus est *Cungariqua*, ac herba lentos fundens ramos, & aliqua ex parte purpureos, teretes, laeues, ac tenues. folia longa, & angusta, multis nervis discursibus insignia. flores purpureos. & siliquas teretes, ac tenues, dodrantemque, & quatuor uncias longas, refertas semine albo, & orbiculari. radicem verò crassam, candentem, longam, & capillatam. Protenit apud editiora loca, calidam; *Mexicana* regionis, ubi cancriosis mederi pudendorum vlcibus, aiunt. Semen tritum, atque epotum ex aqua, dicitur, odium excitare eorum, quæ prius summè erant cara. Radix insigni caret sapore, etsi in dulcedinem nonnullam inclinet. necnon & siliquæ, semenque. frigida videtur natura, & ad temperiem attinente.

Huius leguminis duas hic species distinguere poteris. prima qua imagine promitur descriptioni respondet magis. cuius est ipse longa radix, caulesq; volubiles magis, longioraq; folia. Secunda suis ramulis amplius erigitur, lentis quidem. Siliquæ ambæ, similesq; longæ, seminis illis è *Phaseoli* classe siliquis, quibus *Roma* coctis ex aceto & aromatibus vescuntur.





FRUCTVS VAQVAHVZONTIC.



De VAQVAHVZONTIC,  
seu Trunco secto. Cap. XLVI.

**Q**VAQVAHVZONTIC, quam *Yzacpatli*, seu candidam, medicinam *Houzcenses* vocant, alij *Quaquahnton*, seu truncum paruum, alij vero *Coatzontecomail*, ob formam radices rotundam, alij vero *Huehuelicaton*, herba est folia Pyri ferens, vtraque parte caulibus singula, circa nodos orientia. caules cubitum ferè longos, & teretes. fructum Siliquastro vocato, dum adhuc viride est, persimile, sed tamen spiniferum, & argentea lanugine refertum, ac semine albo confuso. radicem verò obrotundam, nucis Iuglandis magnitudine, capillatamque. Nascitur campestribus locis feruentium regionum. Radix saporem præferit ex amaro & dulci permixtum, ac vim, non sine partibus quibusdam calidis, frigoricam, & lubricam. succus radices medetur oculis inflammatione laborantibus. eadem radix, quæ Pepones sapit, in lauorem redacta, potaque ex aqua semiuncie pondere, quater quinquiesvè, surunculos toti corpori innascentes curat. tusa & applicata, dolores antiquos capitis mirè sanat, febres mitigat, vrinæ calorem temperat, viarum eius vicusculis mederi solet. & dolores ventris sedat.

Apocyno admodum similis est hæc herba, licet vires eius non sint vehementes. quod tamen etiam in Vincaperuina, & Asepiada contingit. quæ tamen ab hiis controversia eodem referuntur.

De

De TONALXOCHITL OCOITVCENSI Solis nuncio. Cap. XLVII.



quam *Yzac tonalxochitl* vocant, à florum candicante colore, qua in re sola à præcedenti distat, facultate ac cætera forma ei est omnino similis. I. l. alba.

**T**ONALXOCHITL OCOITVCEN-  
SIS, quam alij *Tonocaxochitl*, seu florem cum Sole prouenientem vocant, herba est duas habens differentias. prima, folia fert *Oeymi*, sed longiora, & minimè ferrata. caules volubiles, ac per intervalla duorum palmorum. flores magnos, longos, intus luteos, extra nonnihil candescentes, ac circa labra, quæ fissa sunt, purpureos, luteis capillamentis intrinsecus prodeuntibus. Flores, Cappares vocatos olent, atque dulci sapore constant. radix verò surculosa est. Nascitur quibusque regionibus, ac locis montosis, amplexans arbores. etsi cultura ad campestria, hortensiaque; solet interdum descendere. Temperies est mediocris, aut in frigus paulisper inclinans. quamobrem pugilli mensura, ex aqua hordeacea, Cichorijque epota, extinguit febres, & erysipelatis confert admota. Humida enim quoque est, & glutinosa natura. Alia verò *Tonalxochitl*, I. l. alba.

De AXOCHIATL,  
seu Flore Aquæ.  
Cap. XLIIII.



**A**XOCHIATL, quam alij *Tonalxiubitl*, seu *Tonal axochiatl*, alij verò *Netzahual xochitl*, herba est folia salignis proxima ferens. caules aliquantisper purpureos. florem oblongum, & luteum. & in vasculis longiusculis semen. radicem verò Raphani fibratam. Temperatis prouenit plagis, qualis est Mexicana, aut paulò frigidioribus, qualis est *Amaquemequensis*. Quibusuis in locis, assurgit cū primis aquis, & floret cum postremis, vnde vocata est *Xochiatl*, seu Flos aquæ. Radix est paulisper dulcis, subamara, glutinosaque natura, ac frigefacientis humectantisque temperiei. Folia tusa ex aqua, epotaque pugilli men-



## AXOCHIATL DECOLAN.



mensura, aut corpori illita, febrem dicuntur extinguere, mederi lassitudini corporis, diarrhœis; vñtionibus, vlceribus internis atque externis, renum ardorem mitigare, & corpora fulmine contacta, fouere.

Huius Axochiatl non vnica est planta. due hic depinguntur, quæ ab ipsa ab Authore descripta, facie aliquantulum discedere videntur. Primo loco expressa, radice, flore, & fructu consentit, minime verò folijs. namque Raphani radix est; flos ex rubro in stauum tendit; siliqua longa, qualis Keiri conspicitur; folia verò inferiora Eruca sunt similia, superiora Draba, quæ in extrema parte rubent. Alia verò folijs constat ab Authore descriptis. exigua, quæ in summo flore apparent, rudimenta pallent ex viridi. Radix fibrata quidem, sed Raphano minimè similis.

De COEN, seu Coentic.  
Cap. XLIX.

HERBA Coentic, caules profert ternos, teretes, & volubiles. folia per interualla terna, quorum singula quatuor magnis sinibus diuisa sunt. siliquas quinque vncias longas, ac minimum digitum crassas, refertas granis compressis, Lentium forma. Radices sunt obrotundæ, tres quatuorvè, fibratæ, & veluti funicularis appensæ. Dulcis, & grati saporis, quo Xicamam vocatam videntur imitari, nec omnino improbari nutrimenti. Frigida temperie constat, & medetur febribus. siliquæ verò tuzæ, atque impositæ scabiei. cortex radicum fluxionibus obsistit. Sunt & alia herbæ eodẽ nomine, de quibus alibi.

De

De MATLALYTZTIC TETZOCANA  
Triorchide Mexicana. Cap. L.

MATLALYTZTIC herba est, crassa folia, Plantaginis forma habens, serrata, raraq; & circa exortum haud dissimilia arundineis, minora, & subalbescencia. caules geniculis singulis quibusque vnciarum spatij interceptos, teretes, hirsutos, digitum crassos, ac duos drantes longos. flores cyaneos, calycum forma, & præcipuè iuxta caulium extrema. Triorchidis verò radices, cuius est peregrina quædam differentia, sed paruas, & multas. Nascitur in montibus Mexicanis. Radix discutit tumores præter naturam, à causa calida ortos. tusa ac applicata, aut deuorata duarum drachmarum mensura, humorum impetus coercet, sanguinis reprimat redundantiam, æstumque refrigera. cortice tegitur crasso. dulcisque est, non sine quadam amaritudine. quò fit, vt flatu excitato adiuuet venerem.

De TLALCACAVATL, seu Tzacixpatli Filipendula trifolia.  
Cap. LI.

HERBA est Tlalcacauatl per terram repens, radicibus affixa orbicularibus, aut oblongis, multisque quibusdam veluti funiculis adalligatis. vnde prodeunt caules, & in eis folia terna, orbicularia, & parua. flosculi in extremis ramulis parui, coccinei, & modicis calyculis contecti. Prouenit temperatis regionibus, vbi sunt qui Tzacixpatli vocent, seu candidam oculorum medicinam, quod illis succus plantæ huius sit vtilis. radix frigida & humida natura constat. dulcis est, febremque extinguit, vncie vnus mensura deuorata. diarrhœas infantium compefcit, tussim sedat, & vlceribus in puluerem redacta opitulatur. succus verò oculis, inflammatione aut perturbatione tentatis, dicitur prodesse.

Y

De





De TZICATZON TECOMATL,  
seu Capite formice. Cap. LII.

**H**ERBA est Tzicatzon tecomatl, folia Lini exilia ferens, per interualla agminatum exorientia, iuxta quaedam veluti verticilla ad foliorum exortus prodeuntia, florum vice, quæ lutea sunt. caules tenues. radices verò longas, tenues, fulvasque, ac fibratas. Prouenit Tlalticapani. vbi sunt, qui Tlalticatl vocent. Radix est dulcis, glutinans, lancinansque. folia verò frigida, & glutinosa. hæc læuigata infusaque, inueteratis medentur plagis. Ius decocti exhibetur enixis, ac passis lassitudinem, corroboracionis gratia. talis est Indorum mos. Sunt qui dicant, pediculos illitum perdere, ac dysentericis potum mederi.

De ACVITZE HVARIACVA, seu  
herba aduersa venenis. Cap. LIII.



**P**LANTAM, quam Michuacanenses, apud quos nascitur, Acvitze hvariacva vocant. alij à frigida temperie, & radicis candore, Chipa huacaitie vocare solent. alij verò ab ipsa facultate, venenorum hostem, antidotum vè. nec desunt, qui vocent Huichocataqua. Mirabilis ergo planta hæc herba est, folia Rumicis ab ipsa statim radice prodeuntia ferens. caules rotundos, sesquidrantem longos, tenerosque. & in eorum suprema parte flores paruos, ex candido rubrescentes, & in orbiculos coaceruatos. radicem verò orbicularem, malo Cotoneo paruo, forma & magnitudine simile, sed candido intus colore, extra verò fuluescente. Regionibus quibuscunque prouenit temperatis, aut paulo calidioribus, humectisque, ac planis locis. Radix cuius est præcipuus in medicina vtilis, & qualis aut paulo frigidiore & humidior natura constat, sapore grato, & dulci. succus eius, stillatarius uè liquor, epotus qualibet mensura, febrium ardores sedat, cor corroborat. venenorum promptissimum, tutissimumque est alexipharmacum. venenatorum ictum, & maxi-

& maximè Scorpionum resistit veneno, alexiterijque præstantissimi vicem subit. præsertim si radix quoque ipsa rufa, malagmatis, aut emplastri loco imponatur. renem ardorem extinguit, urinæ obtundit acrimoniam, excitat appetentiam, tumores faucium, ac pectoris dolores sedat, & mira quadam occulta proprietate morborum omnium quocunque modo ea vtare remedium est. Audio, alteram huius herbe speciem nasci apud Michuacanenses, Baccaris folijs, Uquiro vocatam ab indigenis; alijs verò Scorloneram, quam adhuc mihi videre non contigit. Scorlonera Hispanica inuentionem, & vires huic valde similes, lege apud Matthiolum in Dioscoridem, capite de Barbula Hirci.

Vquiro.  
Scorlonera  
Mihuac.



De TLALCHIPILLIN  
HOEXOTZINCENSI.  
Cap. LIV.

**H**ERBA est Tlalchippillin folia Origani fundens, nonnihil serrata, caules sesquidrantales, teretes, ac tenues. flores candentes, è quibus demum vascula progignuntur, quæ hiantia, semen candidum, rotundum, ac exiguum ostendunt. radices verò fibris similes. Prouenit imbrium tempore, circa loca humida regionis Hoexotzincensis. Radix est nonnihil calida, & saluosa naturæ. eadem duarum drachmarum pondere deuorata, omnes humores dicitur eximie per inferna purgare. estque huiusmodi pharmacum apud indigenas habitum in magno precio.

TLALCHIPILLIN ALIA.



Mercuriali videtur aliquo modo similis. Huc etiam, ob nominis & figure similitudinem, referri potest alia, quam hic exponimus, ab Authore non descripta, sed depicta tantum. cuius radix fibrosa, folia serrata Origani. ex ala quavis foliorum, exit paruos petiolus, fructum gerens ex viridi luteum, qui hiat in tres partes, sicut Xyris. & in quavis parte duo grana conspiciuntur, non secus ac in Micuelaxcolli superius cap. 17. obseruatum.



De TOTOYCXITL. *Pede Passerino.* Cap. LV.

**TOTOYCXITL** vocata herba, quod producat folia Passeris pedibus familia, sinuosa nempe, & in quinque, aut plures cuspides, more Quinquifolij, aut Heptaphylli diuisi, *Atonilcenses* verò *Caxtlatlapan* eandem appellant, quoniam more cæterarum herbarum huius nominis, se se vicinis ramis aduoluat. radicem fundit ouis gallinarum, Pyroue, forma & magnitudine similem, lacte affluentem. ex qua caulem profert teretem, lentum, repentem humi, & in eo, qualia diximus, folia. florem Maluæ, purpureum, sed minorem. Temperato, frigidoque gaudet celo. Augustoque, aut Septembri mente floret. radix, quæ calidarum est virium, & grato sapore constat, tusa, atque ex aqua vnciæ vnius pondere deuorata, vniuersos inferna parte humores, citra noxam vllam, aut molestiam, purgat.

*Fructus quasi rotundus & viridis depingitur.*

De TZACOLOLTZIN CHVL  
LVLENSI Scammonio  
Mex. Cap. LVI.

**HERBA** est *Tzacololtzin* radici insistentis Scammonæ similis, ad cuius species fortassis pertinet, ac pariter lacte manante. vnde caules eduntur volubiles, & in eis folia prædictæ herbæ haud dissimilia, sed auriculis magis falcatis. flores oblongi, ex albo rubrescentes, & in vasculis quibusdam contenti. Prouenit circa loca arenaria regionum frigidarum, qualis est *Cbullulensis*, radix dulci in sapore præferre videtur, & tamen semiunciæ pondere deuorata, bilem ac pituitam euocat.

*Acrimonia plantarum ita quandoque sub humore*

*in more viscoso delitescit, ut vel tardè, vel omnino non deprehendatur à quouis. ut si in Arò, Conuoluulis, Nolime tangere, pluribusq; alijs. vnde saepe plantam indicamus frigidam, quæ tamen calida esset dicenda si accuratius animum applicauerimus. quæ etiam causa est, ut statim, si quid tale vim purgandi, vel Alexipharmacam habeat, ad occultas causas confugiamus, pigritiaq; nomine, & in aduertentia, vel talestem aliquam vim, v. l. occultam præcedamus facultatem.*

De COCOBVT PANUCENSIS.  
Cap. LVII.

**COCOBVT** Panucensis, herba est folia Persici ferens, sed latiora, & crassiora. caules volubiles. radicem orbicularem, paræ pilæ forma, & magnitudine, teneram, dulcem, ac iucundi saporis. florem, ac fructum, ut referunt, nullum. Radix applicata, bubones maturat, & rumpit, cæterosq; præter naturam tumores. deuorata verò, vrinam euocat, pellit lapillos, menses immodicos sistit. apposita fronti, medetur emicranæis. pota, aut applicata, resistit venenis, & venenarum moribus. quomobrem maximi habetur ab indigenis, nec facile extortæ sunt ab eis eius vires.

## De AXOCHIATL altera. Cap. LVIII.

**AXOCHIATL**, quam alij *Cuazalxochitl*, seu Florem capitis candentis, alij verò *Texoxolin* vocant, herba est folia ac radicem Caparum, Narcisive, cuius videtur species, fundens caulem, & flores *Omixochitl* vere prodeuntes, sed longè maiores. Mexicanis prouenit agris. lubricitatem quandam cum amaritudine participat, ac nonnullum calorem. tumoribus pedum, & lienis aiunt auxiliari, tumores præter naturam pellere, nomasque, & depascencia vlcera. radix læuigata, & semiunciæ pondere ex aqua bibita, dysenterias coarctet. succus verò eius si tantundem vrinæ humanæ permisceatur, & naribus instilletur, sanguinem fluentem sistit. addunt alij, aurium dolorem sedare, mensumque *Auris* sistere.

## De YCHCACALOTIC, seu Vase Gossipino. Cap. LIX.

**YCHCACALOTIC**, quam alij *Tlapanquipatl*, seu medicinam perfractam vocant, herba est folia obrotunda, ac in orbem circumacta, proferens, vndulata, senu, subalbidaq; præter alia quædam minora & albidiora.



ra. cauliculos tenues, & breues. & in summa parte exiles flosculos. radices vero capillis similes, quibus saxis adhaeret. Nascentur in montium accliuibus, humidisq; calidarum regionum locis, qualis est *Pabuatlanensis*. Lycheinis species est peregrina, frigida, humidaq; eodem modo natura conitans, verum edulis, ac dulcis saporis, febres extinguit, & tumoribus praeter naturam repulsi confert.

De *TEXOCHITL*, seu *Flore Teit*. Cap. *LX*.

**Y**EXOCHITL, quam alij *Eloxehtil*, seu *Florem Eloti*, alij vero *Coauhquixochitl*, seu *Texochitl pallidam*, vocant; herba est magnam agens radicem, intraque candentem. cui, velut funiculis quibusdam longioribus, appendent quinque aut sex radices aliae, porcinis renibus haud ab similes, sed aliquanto maiores, fibrataeque. Multos haec fundit caules, farmentosos, quadratos, & geniculis interceptos, striatos, & quaternis distinctos canaliculis. e nodis oriuntur ramuli folijs Blito similibus referti. flos est oblongus, & luteus, vnde nomen, quem profert per astatem fumo redolentem. Provenit regionibus frigidis, & montosis locis, qualis est ager *Xochitepecensis*. Radix est dulcis, edulisque, ad temperiem pertinens, aut paulo frigidior, succus eius inflammatis oculis dicitur opitulari, ac ius decocti dysenterijs. pulvis vero inspersus curat ulcera oris, & reliquorum membrorum. potissimum si distemperies calida adiungatur.

De *QVAMIAYATL*, seu *Spica arboris*. Cap. *LXI*.



**Q**VAMIAYATL, quam alij *Tlacamazapapan*, seu *Capillum Sacerdotis* vocant; herba est radice innixa capillata, & rubresceti, vnde mittit caules eius Sedi, quod recentiores Vermicularem vocant, cui similis est, ni folia appareret tenuia. Thytimalo paralo etiam affinis est, in cuius, ut coniecto, differentias referenda. quamquam rami e caulibus a radice prodeuntibus rursus oriuntur, quod in Paralo fieri non video, cuius gratia & describendam, & depingendam curavi. et si non dubitem, aut eandem cum eo esse, solis natalibus distantem, aut saltem congenerem. Nascentur montanis, saxosisq; *Tepeztlani* locis, & in hortis quoque medicinae gratia feri consuevit. Haec rufa, ad motaq; capiti folia, capillorum ubertatem procurant, quod etiam praestant reliquis corporis partibus admota, in quibus pilli solent oriri. omnes humores vacillare narrant deoratam herbam, ex aqua duarum drachmarum mensura, sed pituitam praecipue. atque ita mederi cachecticis, hydropicis, morbo Gallico, aut articularum doloribus oppressis, & orbatis motu. sapore caret insigni. et si virus quoddam spiret, caliditatem ostendens.

R E-



RERVM MEDICARVM  
NOVAE HISPANIAE  
NARDI ANTONII RECCHI  
Liber Octauus.

ACERBAS ET ACIDAS HERBAS PRODIT.

IOANNIS TERRENTII LYNCEI PRAEFATIO.

**S**APOREM dulcem in medio situm, ab uno latere salsum, amarum, acrem, calidos omnes, ex altero vero, acerbum, austerum, & acidum, frigidos saporis comites habere, iam dudum communis Medicorum schola approbavit. Horum omnium priuationem voluit inspidum esse. Noster hic Auctor sub uno genere austerum, & acerbum, sub alio acidum, & inspidum comprehendit.

Habent autem austerum & acerbum quaelibet, multum terra, parum salis, cum amara, acrisque, & salsa, sale, qui his nomen dedit, plurimo scateant, qui veluti dextera artificis Chymici operatione, ex his per resolutionem non paucus elicuntur. sic eiusdem ingeniosa genesi austeris & acerbis ingeneratur, implantaturque. Ad oculum hoc facile est demonstrare. Res enim inspida, & emplastica, qua sicca nempe natura fuerint, res est Corallorum, vel alterius lapidis pulvis, vel etiam ferri, quem Ferruginem, & Spagyrici *Cicum Magnis* vocant. si cum sale aliquo subtili, qualis Ammoniacus est, sublimetur, iteratisque id vicibus fiat, critis, probiq; commixtis, donec sal per minimos sese puluiculus insinuet, nec ab iisdem facile separetur, habebis mixturam, cuius sapor erit acerbus, vel austerus, magis minusve, pro varia salis quantitate, & diuerso operandi modo.

Vis